Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25879
Copyright: Admont, Benediktinerstift

xvii 17

ri nobis ante cognita et huic libro arbitratus sum adiungere. Sisinnii etiam et Alexandri martyrum qui nostris temporibus hoc est post obitum sancti Ambrosii in Ananiensi partibus persequentibus gentilibus viris martyrii coronam adepti sunt, cum reliquias Mediolanii summa cum devotione susceperam, adveniente quodam caeco et referente didicimus quod eodem die tacto loculo in quo sanctorum reliquiae portabantur lumen recepit, eo quod per visum noctis vidisset navem appropinquantem litori, in qua erat multitudo virorum albatorum. Quibus descendentibus ad terram cum unum de turba deprecaretur ut sciret qui essent viri, audierit Ambrosium eiusque consortes. Quo audito nomine cum deprecaretur ut lumen reciperet, audivit ab eo: Perge Mediolanium et occurre fratribus meis qui illo venturi sunt, designans diem, et recipies lumen. Erat enim ut ipse asserebat de litore Dalmatiano, nec se venisse ante in civitatem asserebat. Postquam recepto lumine reliquiis sanctorum occurrisset, non diu videns, sed tacto loculo videre cepisset.

His itaque decursis non arbitror grave videri si paululum promissionis nostre metas excessim, ut domini dictum quod per sanctos prophetas locutus est impletum esse doceam: Sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et: Detrahentem occulte proximo suo hunc persequebar; et alibi: Noli diligere detrahere ne eradiceris; ut quicumque forte huiusmodi captus est consuetudine, cum legerit qualis in his qui sancto viro detrahere ausi sunt fuit vindicta, ipse etiam in aliis emendet.

Etenim Donatus quidam natione Afer, presbyter tamen ecclesie Mediolanensis, cum in convivio positus in quo erant nonnulli militares viri religiosi detraheret memorie sacerdotis, aspernantibus illis et deferentibus linguam nequam, subito vulnere percussus gravi de eodem loco in quo iacebat alienis manibus sublevatus in lectulum positus est atque inde ad sepulchrum usque deductus.

In urbe etiam Carthaginensi cum apud Fortunatum diaconem fratrem venerabilis viri Aurelii episcopi ad convivium convenissem una cum Vincentio Colositano episcopo, Muzuano etiam episcopo Boltano, sed et aliis episcopis et diaconibus, Vincentio Murano episcopo detrahentem sancto viro, retuli exemplum presbyteri supra memorati. Quod ille de alio dictum de se oraculum maturo suo exitu comprobavit. Nam de eodem loco in quo iacebat cum subito vulnere ingenti esset percussus, alienis manibus ad lectum usque portatus est atque inde ad domum in qua hospitabatur reductus diem clausit extremum. Hic finis viro illi detrahentium fuit. Quem videntes qui tunc aderant mirati sunt. Unde hortor et obsecro omnem hominem qui hunc librum legerit ut imitetur vitam viri, habeat Dei gratiam et declinet detrahentium linguas, si mavult consortium habere cum Ambrosio in resurrectione vite quam cum detrahentibus subire supplicium quod nullus sapiens non declinat. Te etiam precor beatissime pater Augustine ut pro me humillimo peccatore Paulino cum omnibus sanctis qui invocant nomen domini nostri Ihesu Christi in veritate orare digneris, ut qui in adipiscenda gratia cum tanto viro non sum dignus habere consortium, adeptus merear veniam peccatorum, sit mihi primum fuisse supplicium. A M E N.

Incipit Passio sanctarum Cheonie, Hyrenis atque Agapie.

Sacrarum itaque Chyonie et Hyrenis atque Agape Diocletianus rumore comperto iussit eas sub obtutibus suis presentari. Quas cum vidisset, rex ait: Que vobis fatuitas imperat sequi superstitionem vanam et superfluam atque in contemptu vere religionis divina execrari invictes. Igitur quia ego vos genere et nobili ortas stirpe dabo vobis maritos de palatio meo per quos illustres esse possitis, si negaveritis deum vestrum esse Christum et diis libamina dederitis. Tunc Agape respondit: Sacratissime imperator, cura tibi gentium incumbit, cura rei publice, cura exercitus; et ad iniuriam dei vivi loqueris, cuius tibi auxilium necessarium, cuius te benignitas parat. Diocletianus dixit: Insani istam aliam applicate. Et adducta Chyonia dixit: Soror mea non insanit, sed iniusta monita iusto iudicio reprehendit. Et hanc amoveri precipiens tertiam adduci iussit eam et dixit: Quia vanitate plene sunt sorores tue maiores, tu vel saniori acquiescens consilio sacrifica diis. Hyrene respondit: Flectant hi cervicem ydolis quibus iratus est deus. Peior enim dignitas non est quam ne adoraret aliquis eum qui ab artifice factus est antequam fieret. Non enim pluris cum artifice qui eum stantem faciat aut sedentem aut ridentem aut flentem aut saltantem aut iacentem. Non das precium libantibus damnantibus conflantibus et precia que feceris imaginem ex metallo depictam est quem male factum recusasti et composite et limatum pretia emisti. Diocletianus dixit: Ista verba temeritas tollenda sunt si monitus pacificis tempore forsitan respuistis. Chyonia dixit: Noli dicere forsitan, nos enim pro certo novimus quod tuis numquam summus iussionibus consensum penitus prebiture. Tunc iussit Diocletianus carceris eas trudi custodia. Quas beata Anastasia nec diebus nec noctibus deserebat. Conveniebant enim omnes christiani ad Anastasiam viri et femine indigentes, quia nimiam penuriam christiani illo tempore sustinebant. Nulli enim christiano licebat vel possidere vel artem aliquam exercere aut aliquid negotium agere. Anastasia vero hoc orabat cotidie dominum ut non prius exiret de corpore, nisi omne precium quod de matrimonio suo vendito acceperat expendisset. Proficiscente igitur Diocletiano ad Macedoniam omnes christiani qui in vinculis erant simul a custodibus ducti sunt, inter quos erant simul Agape, Chyonia et Hyrene. Igitur cum suggestum fuisset imperatori de his qui